

**I. IANVARII.  
DE S. ODILONE ABBATE CLVNIACENSI.  
VITA S. ODILONIS AVCTORE  
LOTSALDO MONACHO.**

**PROLOGVS AVCTORIS.**

[1] Reverendo Patri Stephano, secundum sui nominis interpretationem Pontificali gloria sublimato, vltimus seruorum Dei seruus, nomine tantum monachus, Lotsaldus, quidquid in vtraque vita iocundius.

[2] [Cur vitæ Sanctorum scribantur.] Antiquorum Philosophorum studia scriptis & monumentis extulerunt priorum suorum laudes & memorias, talibus iudiciis sperantes se facere immortales, quos nouerant fuisse mortales. Deinde gradu sæculorum regula Ecclesiastica tanto dicendorum materia sublimior, quanto spei certioris directior, sanctorum virorum præclara describit opera; vt succedentes & futuri habeant semper, quorum sequantur exempla, totumque ad illum referatur a quo datur virtus & prudentia: a quo etiam deriuatur fortitudo atque sapientia.

[3] [Auctor S. Odilonis discipulus.] Ad horum formam ego quantilluscumque homuncio, nutritus magni Odilonis magisterio, informatusque beneficio; quemadmodum Hieronymus de Blæsilla & Nepotiano, epitaphium quoddam volui de morte virtutibusque eius inscribere; & veluti flores ad sepulchrum eius spargere, quæ introeuntibus præsentent aliquid suauitatis & gratiæ, redoleantque secundum sui speciem quantulocumque odore. In hoc vero deuotionem animi mei offero, & altiora describere volentibus materiam præsto; non occasionem agendi id melius subripio.

[4] [Stephanus nepos S. Odilonis.] Quod opus tibi sancte Præsul ideo mittere disposui, quia te nepotem ipsius, & per illum ad Sacerdotij gloriam accersitum noui, confidensque tuo placere iudicio, quidquid in laudibus eius descripserit cultus vel incultus sermo.

## CAPVT I.

### S. Odilonis patria, parentes, soror.

[5] [Beraldus S. Odilonis pater.] Extitit pater eius inter Procere Aruernorum nobilissimus, vir in armis strenuus, possessionibus & diuitiis locupletissimus, in consilio prouidus, & omni morum honestate suo tempore nulli secundus. Qui etiam privilegio auctoritatis & gratiæ, Maior Beraldus vocabatur, ab omnibus fidei virtute ita præcipuus, vt quod aliis difficile sacramentis, hoc iste inuiolatum custodiret simplicibus verbis. Longe se habebat aliter actus eius & habitus, quam modo videri possit, in quouis Principe, quilibet actionis modus.

[6] Fuit illi vxor Girberga nomine, non degener natalibus & moribus, quæ quantæ continentiæ, quantæ castitatis, & cuius esset voluntatis sub marito, post mortem eius omnibus fuit in aperto. [Girberga mater, post religiosa.] Nam relicta patria, relictis propinquis & filiis, & magnis fundi possessionibus atque diuitiis, tamquam alia Paula secuta est Christum: & apud monasterium S. Ioannis Augustuduni positum Sanctimonialium suscepit locum & religionis habitum. Quam laudabile ibi durauerit propositum, quamque dulcis & vtilis omnibus ibi deinceps eius vita fuerit, & quam glorioso exitu finierit vitam, paucas quæ superant cum gemitu narrare audiui.

[7] Fuerunt denique istis alij filij potentes & nobiles, & in suo ordine quantum ad mundanam gloriam nulli inferiores. Quædam etiam non prætereunda soror nomine

**Blismodis Abbatissa, [Blismodis soror, Abbatissa.] quæ in sancta virginitate nocte & die seruiens prope centenarium expleuit annorum numerum. His itaque breuiter descriptis ad illum, quem celebriter commendat nobilitas mentis & celsitudo generis, stylum vertamus.**

## **CAPVT II.**

### **Fit Clericus, dein Monachus.**

**[8] Hic itaque vir Beatissimus Odilo tanto nobilitatis schemate procreatus, inter ipsa primordia tamquam alter Isaac, [Odilo fit Clericus.] siue Samuel Christo consecratus, & Briuate apud S. Iulianum gloriosum Martyrem clericali sorte donatus est. Delectabatur in ipsa pueritia humilitate, [Eius pueritia.] castitate, innocentia, & puritate; & prout ætas admittebat misericordiæ operibus insistebat. Superabat coætaneos sapientia & moribus, ita vt iam non puer, sed senex maturitate non tempore, ab omnibus putaretur.**

**[9] Decursis itaque puerilibus annis, vbi robur iuuentutis succedere cœpit, tacitus secum deliberat, vt Ægyptias ollas desereret, & per media mundi discrimina terras repromissionis intraret. [Vir gratiæ diuinæ.] Iesu bone quam suavis tua vocatio, quam dulcis tui spiritus inspiratio, qui mox vt mentem pulsaueris, æstus fornacis Babylonicæ in amorem transformas cælestis patriæ. Ecce enim cor nostri iuuenis dum subito pulsas, mutas; & in veros amplexus Salomonis mirabiliter accendis.**

**[10] [Deliberat de fuga sæculi.] Certe dum talia meditatur in animo, magnus ille Maiolus per totum pene mundum iam famosus, Aruernorum fines ingreditur, & diuina dispositione is, de quo loquimur, ante eum adducitur. Qui considerans in eo præstantem elegantiam corporis, & nobilitatem generis, magnum quoddam & diuinum oculis interioribus in eo præuidens, totus in eius amorem**

illabatur; & vicissim inter eos ignis diuinæ caritatis magis magisque accenditur. Fit inter eos familiare colloquium: iunior seniori suum prodit desiderium: senex vt præmeditata perficiat, [A S. Maiolo animatur.] modis quibus potest iunioris instruit animum. His ita inter se dispositis, senex ad propria reuertitur: sollicitudo iuuenis ad ea perficienda, quæ ceperat, præparatur.

[11] [Fit Cluniaci, monachus.] Non multis itaque interiectis spatiis, nouus miles tamquam Benedictus Romuleas, deserit & iste Briuatenses seu Anicienses arces: despicit patrias opes, propinquos & fratres: & quasi antiquus Abraham de Hur Chaldæorum egrediens, Cluniacum quasi quemdam terræ repromissionis requirit introitum: & veteri iterum deposita sarcina monachicum suscepit indumentum.

[12] Iesu bone, quam iucundum erat tunc videre ouem mundano vellere detonsam de lauacro baptismatis iterum ascendentem, cum gemellis foetibus dilectionis vtriusque procedentem, nihil secum sterile portantem, nihilque vanum meditantem. [Humilia munia alacriter obit.] Iam sumpto habitu videres nostram ouem inter alias primam opere, extremam ordine, viriditatis æternæ pascua requirere; lucernarum ministeria concinnare; infantum custodiendorum excubias obseruare; pauimenta verrere; & quæque vilia officia humiliter peragere.

### CAPVT III. Abbas creatur.

[13] Sed non diu latuit margarita: non diu potuit occultari in privato loco fortis athleta. Evolutis post hæc fere quatuor annis S. Maiolus, post multos pro Christo desudatos labores, de tenebris Ægypti egreditur, transitoque maris periculo Ierusalem ingreditur; atque in æterna pace a Christo collocatur. [Fit Abbas inuitus.]

**Instante vero mortis articulo Dominum Odilonem sibi successorem elegit, atque proprias oues Domino & sibi reliquit. Qui reluctans, & vltra quam credi possit inuitus, communi omnium voto, communi omnium sententia ad iniunctum officium ordinatur, & tamquam alter Moyses Dei populo præficitur. Quid agis Deo dilecta anima? Quid reluctaris? Quid adhuc vis stare post parietem, & respicere per cancellos? Egredere iam ad diffusam lucem: egredere: loquitur tibi sponsus tamquam ad sponsam in Canticis canticorum: Surge, propera amica mea, formosa mea, & veni. [Cant.2. 10.] Videlicet aperte dicens: Surge de stratu quietis, in quo tuimet solius curam agere quæris: propera, & veni ad impendendam etiam proximis curam salutis, per studium sedulæ prædicationis. Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. [Ibid. 14.]**

#### **CAPVT IV.**

##### **Statura eius externaque compositio.**

**[14] Svscepto itaque regiminis officio magis magisque sanctorum confirmabatur exemplo, [Pollet auctoritate.] & in omnibus cælesti adornabatur magisterio. Prælucebat in eo quoddam insigne documentum, quod subiectis imitandum esset, & timendum: & qualis esset interius, relucens in eo gratia declarabat exterius. [Eius staturæ, externarumque actionum descriptio.] Habitus enim mentis, vt ante nos dictum est, in corporis statu cernitur. Et quia ita est, nunc de ipsius corporis positione pauca dicamus. Erat mediocris in eo statura; vultus ipse plenus auctoritatis & gratiæ; mansuetis hilaris & blandus, superbis vero, & \* offensus, vt vix sufferri posset terribilis. Macie validus, pallore ornatus, canitie decoratus. Oculi illius veluti quodam splendore fulgentes, intuentibus & terrori erant, & admirationi, lacrymis assidui, quia sæpius aderat virtus compunctionis. Renitebat etiam in ipsius**

motu, gestu, incessu species auctoritatis, pondus gravitatis, tranquillitatisque vestigium. Occursus illius quasi quidam gratissimæ iucunditatis radius, & insolitæ delectationis euentus. Vox illi virilis, & ita plena decoris, vt audientium mentes non mediocriter demulceret dulcedine modulationis. Sermo illius plenus suavitatis & gratiæ, prout ratio causarum se habebat medie temperatus, nec modum prægrediens loquendi, nec minus pro tempore improvidus disserendi. Nihil in eo fucatum, nihil affectatum; sed natura mirabiliter reddebat cum corporis positione, & ordine vitæ quadratum. Et quamvis secundum S. Ambrosium in pulchritudine corporis locum virtutis non ponamus, gratiam tamen non excludimus.

## CAPVT V.

### Variæ eius virtutes.

[15] His vero omissis ad compositionem morum eius, quibus per diuinam gratiam adornatus extitit, redeamus. [Virtutes eius.] In quantum humana æstimatio se habet, quatuor in sancto viro principales non mediocriter relucebant virtutes, prudentia, iustitia, fortitudo, & temperantia. Prudentiam philosophi definiunt in veri investigatione consistere, [Prudentia.] & scientiæ plenioris cupiditate. Quo genere virtutis ita enituit, vt non diebus neque noctibus a veri investigatione cessaret. Semper ei liber diuinæ contemplationis in manibus, semper ei sermo descripturis assiduus, & ad ædificationem cunctorum labor continuus. [Assidua lectio.] Vt Hieronymus Eustochium instruit, faciem dormientis interdum pagina sancta suscipiebat: euigilantem iterata lectio recreabat. Nihil ei in hac vita dulcius, nihil amabilius fuit.

[16] [Oratio, nec somno interrupta.] Lectioni oratio iugis succedebat. Qui gemitus, quæ suspiria, vel affluentia lacrymarum, & præcipue in illo sancto sacrificio agni

immaculati erat; Spiritus sanctus auctor ipsius muneris & gratiæ nouit. Rem miram dicturus sum, & certe veram. Cum sæpius illum psallentem in stratu somnus exciperet, tamen psallimus ab ore dormientis non recedebat: vt si nescires, vigilare eum putares. Euigilans vero ita psalmum cum festinatione arripiebat, quasi nihil intermisisset. Loquebatur, credo, tunc cum sponsa in Canticis Cantorum: Ego dormio, & cor meum vigilat. [Cant.5. v.2.]

[17] [Eruditio.] In Scripturis quam fuerit eruditus, & in sermone facundus, quamque etiam in recta fide Catholicus, testantur Sermones eius, & multiplices Epistolæ, quas tamquam fauos dulcedinis pinguissimæ videas redolere odore prudentis eloquentiæ, decoreque suauitatis & gratiæ.

Extant hæc S. Odilonis opera in Biblioth. Cluniac.

## CAPVT VI.

### Viris Principibus carus est.

[18] [Iustitia.] Iustitia est, vt volunt Philosophi, quæ suum cuique tribuit, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem æquitatem custodiat. Hæc omnia in illo non mediocriter, sed profuse noueris reluxisse. Omnibus enim ætatibus, personis & conditionibus, prout \* iustitia fuit, debitum honorem exhibuit; & omnibus ita se gratum præbuit, vt non aliter quam Angelus (si ita dicendum est, imo quia dicendum est) cunctis carus extiterit. Principibus & potestatibus Christianis secundum Apostolicam sententiam in nullo restitit; [Omnibus carus erat, etiam Regibus.] sed ita amicabilem se & officiosum reddidit, vt tamquam alter Ioseph ab omnibus mirabiliter amaretur, & celebriter veneraretur. Concurrat in hunc amorem Rotbertus Rex Francorum: accedat Adelheyda mater Ottonum: veniat etiam S. Henricus Imperator Romanorum: intersint Conradus, & Henricus, videlicet

pater & filius, Cæsares & ipsi nobiles inuicti; quorum omnium amicitiiis, officiis, & imperialibus muneribus ita magnificatus est, vt sibi & illis cor vnum & anima vna fuerit. Quid etiam S. Stephanus Rex Hungrorum, siue Sanctius Rex Hesperidum populorum? Qui quamuis eum præsentialiter non viderint, tamen ad famam sanctitatis eius intercurrentibus legatis & reciprocis litteris adstrinxerunt illum sibi beneficiis, & copiosis muneribus, commendantes se humiliter orationibus illius & suffragiis.

[19] Fuit etiam in remotis partibus Occidentalium alter Santius Pampulanorum Episcopus, [Santius Episc. Pampelon. fit monachus.] qui ita sibi in amicitiiis adhæsit, & copiosis muneribus deseruiuit, vt ad eum de tam longinquis regionibus veniret, & monachum se fieri ab eo postularet. Quem in tantum dulcis memoriæ Odilo dilexit, vt etiam moriens de eo faceret sermonem, vt post mortem suam ad eum visitandum cum exuuiis vestimentorum suorum duos fratres mitteret, qui illi vitæ suæ finem nuntiarent, & antiquam amicitiam sibi mortuo conciliarent, & rursum eamdem viuentibus renouarent.

[20] Non prætereundi sunt etiam Domini Sacerdotes & Apostolici viri, Silvester, Benedictus, Ioannes, [Gratus summis Pontificibus, clero Romano, Italis omnibus.] & in vltimis piæ memoriæ Clemens, quorum gratiam ita promeruit, vt tamquam ex fratribus vnus extiterit. Quæ enim persona vndecumque locorum non cuperet habere Odilonem tamquam alterum Salomonem, amicum & patrem, & pro se apud Deum intercessorem? Gaudebat Italia, cum Odilonis aderat præsentia, & precipue familiaris sibi Papia, cuius prece & industria temporibus S. Henrici & Conradi Imperatorum, liberata est ab excidio gladij & periculo incendiij. Lætabatur etiam Roma mundi Domina, tanti viri contubernio frequentata sæpius, sanctorum Apostolorum amore & desiderio. Officiales & Clerici siue monachi, ita sibi applaudebant venienti, vt

tamquam de suis carissimum fratrem haberent amore vehementi. Hæc ideo in partes iustitiæ posuimus, vt aperte monstraremus illum proprium cuique tribuisse, & idcirco omnium gratiam & amorem promeruisse, & vt etiam omnibus declararetur, quia necesse erat vt quem Deus perfuderat gratia, ab omnibus amaretur. Bene itaque de eo omnes in commune senserunt, quia cunctis vbique & amori fuit & honori.

## **CAPVT VII.**

### **Eius in omnes comitas, in pauperes liberalitas.**

[21] [Officiosus erga omnes.] Iam vero de inferioribus: seniores honorabat vt patres, iuniores vt fratres, anus vt matres, virgines vt sorores, omnes tamen æstimans sibi superiores. Cunctis in commune præbebat familiare consortium, & salutare colloquium. Nulli onerosus, nulli importunus, nullius honoris cupidus: alienum non vendicabat, imo magis quod suum erat, hilariter alteri concedebat. Vtilitatem propriam negligebat, vt communem æquitatem custodiret. Beneficentiam & liberalitatem, quæ etiam & ipsæ partes sunt iustitiæ, ita retinebat, vt in eis nostris temporibus in suo ordine singulariter solus reluceret. Omnibus enim in commune volebat benefacere, sed quibus poterat liberaliter liberalis existebat. Plus gaudebat datis quam acceptis, sciens illud felicitatis, istud indigentia esse: & secundum veritatis Dominicæ sententiam, beatius esse dare quam accipere. [Act.20. 35.]

[22] In pauperes ita munificus erat, vt aliquando non dispensatorem, sed & profusum videres largitorem. Etenim magis delectabatur in faciendis eleemosynis, [Liberalis in pauperes.] quam aliquis gratulari possit in acquirendis pecuniis. Et quid dicam? Cæcorum baculus, esurientium cibus, spes miserorum, solamen lugentium fuit. Misericordiæ enim visceribus vltra quam dici possit

**affluebat: & quantum in se fuit nullum a beneficio misericordiæ excludebat. Et sicut in epitaphio Sabiniani Papæ legitur:**

**Hic hominum vitia blando sermone remouit,  
Nec culpis iudex, sed medicina fuit.**

**[23] Erat certe in hac virtute in tantum diffusus, vt ab imprudentibus in officio huius virtutis diiudicaretur nimius. Sed ille ad hoc obiectum, eleganter alludere solitus erat: Ego, inquit, volo magis de misericordia misericorditer iudicari, quam de crudelitate crudeliter damnari. [Præclarum eius de nimia sua liberalitate apophthegma.] Vt enim ait Ambrosius, Bonus est misericors homo, qui dum aliis subuenit, sibi consulit; & in alieno remedio vulnera sua curat. Agnoscit enim se esse hominem qui nouit ignoscere. Et vias Christi sequitur, qui carne suscepta maluit in hunc mundum redemptor venire, quam iudex. Vnde & iste vir sanctus, vt prædiximus, malebat esse culparum \* indultor, quam iudex.**

**[24] Ad hoc aliquotiens quod offerebatur libentissime accipiebat, vt haberet quod pauperibus distribueret. Implebatur semper in eo quod dicitur in Euangelio: Omni habenti dabitur, & abundabit. [Matth. 25. v.29.] Vidimus enim multotiens marsupium illius ita exinanitum, vt quod daret fratribus non haberet, [Suppeditantur ei præter spem quæ tribuat pauperibus.] cum subito ex insperato veniebat sufficiens benedictio, vnde sedaretur petentium vociferatio. Et ne generaliter hæc persequendo, eius aliqua misericordiæ opera specialiter ignorare videamur, quædam hic sunt inserenda satis memoratu digna, quæ fidem præbeant etiam iis quæ nominatim non sunt ponenda.**

**[25] Quodam tempore cum apud Sanctum Dionysium Parisius pergeret, & per publicum iter incederet, offendit**

duos pueros \* fame & frigoris supplicio occubuisse, & sub oculis omnium (dictu miserabile) nudos & insepultos in media iacere via. [Duos mortuos propria veste contactos sepelit.] Erat enim eo tempore fames valida, quae sui magnitudine pene totas Galliarum siue Aquitanicæ oppresserat prouincias. Compunctus itaque vir sanctus tali horrore equo desiliuit, substitit: pollinctores mercede quæsiuit: lanea veste, quam vulgo \* staminiam vocant, a dorso abstracta illorum nuditatem propriis manibus cooperuit: sepeliuit: debitum mortuis obsequium persoluit: sicque cœptum iter tenuit. Si Martinus per totum orbem apophthegma celebratur in dimidia tunica pauperi diuisa; cur non & iste secundum sui speciem celebris habeatur in tunica integra, non vni viuo, sed duobus mortuis data?

[26] Multa proferri possent similia, nisi succumberent nostræ paruitatis ingenia. Sed tamen ne silentio premantur omnia: [Tempore famis vasa sacra, & dona confringit vt succurrat pauperibus.] tali tunc temporis, ac deinceps per multos annos, incumbente miseria, in vsus pauperum confregit plurima vasa Ecclesiastica, & ornamenta insignia, inter quæ etiam Imperialem Henrici Imperatoris coronam; indignum iudicans talia denegare pauperibus Christi, pro quibus effusus est sanguis Christi. In thesauris Ecclesiæ pauperibus datis diuinis & humanis oraculis Laurentius prædicatur mirabilis, cui licetistum æquiparare non audeamus, tamen cunctis, quos vidimus, moderni temporis hominibus, quod sine præiudicio cuiusquam dixerim, in suo ordine, in hac virtute præferemus.

[27] [Alios hortatur ad eleemosynas.] Consuluit quibus potuit; & quibus perse non potuit, alios vt misererentur, rogauit. Cum enim non sufficeret tam acerbæ famis prædictis temporibus omnium miseriis subuenire, vidimus eum vicos & Ecclesias, quas poterat, circuire, ad

eleemosynas faciendas Principes, diuites, mediocres suadere, dulcibus sermonibus ad misericordiam prouocare, eisque inde plenissimam peccatorum remissionem libera voce de cælis repromittere. Ita vir sanctus quos non sufficebat propriis alere sumptibus, iuuabat apud illos, quos poterat, sermonibus misericordiam suadentibus. Tali consultu multa certe millia pauperum cognouimus famis & mortis euasisse periculum.

[28] Nullius miseriam præteriuit: nullius necessitatem despexit: nullius infirmitatem perhorruit. Denique quidam sanctæ Dei genitricis Aniciensis Ecclesiæ Clericus secundum carnem nobilissimus, lepræ contagio maculatus priuatum sibi, veluti tantæ corruptioni necessarium, iuxta \* Ligerim fluuium, quaedam delegerat locum, monasterio quod dicitur Volta contiguum. Quo adueniens Dei famulus, & hoc agnoscens, infirmo compatitur: solatiari ei in quibus illi necesse erat, fratribus imperat: requirit vero ipse miserabilis sancti viri priuatum colloquium, & vt ad se accedat humiliter rogat per internuncium. Quod Sanctus facere non recusauit, recolens Dominicæ humilitatis exemplum, qui etiam non rogatus venire voluit ad Centurionis seruum. [Leprosum amplectitur, & osculatur.] Dum vero ad eum peruenitur, illius non exhorrescens miseriam, nobis, qui videbamus, valde mirantibus, in oscula ruit, amplexatur, & diu cum illo familiare colloquium participatur. O virum per omnia laude dignum, qui magis in homine naturæ diligebat prærogativam, quam alicuius morbi expauescebat accedentem miseriam.

## CAPVT VIII.

### Hospitalitas, humilitas, aliæque virtutes.

[29] In suscipiendis hospitibus festiuus erat & iocundus; [Hospitalitas eius.] nihilque sibi vnquam deesse liberalis

confidebat animus, sed in abundantia benedictionis Christi omnibus largiter erat profusus. Munditiam integritatis ita inuiolabilem custodiuit, vt Spiritus sancti mereretur fieri domicilium, & castissimæ puritatis receptaculum. Humilitatis etiam tanta in eo fuit perfectio, vt ne ad modicum quidem notaretur in eo superbiæ vestigium. [Humilitas.] Innocentia in illo non mediocriter reluxit. [Simplicitas.] Ex suo affectu pensabat omnes, & sicut ipse erat alienus a felle malitiæ, ita etiam æstimabat alios nullius doli peste corrumpi poste. Honestatis decore ita pollebat, [Honestas.] vt in omni sua actione, huius virtutis pulchritudine, tamquam cuiusdam fulgoris resplenderet lumine. Nihil enim inhonestum, nihil indecorum illa sancta anima videre vel audire volebat. Veritatem corde retinebat, [Veracitas.] & ore proferebat. Mendacium vero tamquam pestiferum morbum modis omnibus cauebat. Humanæ etiam laudis fauores non requirebat, neque gloriam suam in ore hominum ponebat.

[30] [Humilitas in honore sibi ab aliis delato.] Si quando vero a confratribus vel Episcopis more Ecclesiastico officiosis obsequiis suscipiebatur vel honorabatur, testor lesum aduocatum animæ eius, quia talia non curabat omnino, & veluti quoddam nullius momenti pretium computabat. Tamen quia hoc sine scandalo plurimorum declinare non poterat, exterius quidem fraternum obsequium suscipiebat, sed interius a proposito humilis rigoris non discedebat.

[31] [Pietas.] Conuentus fratrum fortiter tenuit donec ad ipsa mortis extrema peruenit. O quam iocundus inter alios procedebat! quam festiuus in illo sancto choro medius stabat, a dextris & a sinistris prospiciens coronam nouellæ plantationis, memor illius versiculi Davidici carminis: Filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ! [Psal. 127. v.3.] Et quanto magis augebatur numerus fratrum, tanto magis quibusdam signis & certis

indiciis declarabat sui animi gaudium. [Facilitas in admittendo ad religionem.] Et quia multotiens videbat quibusdam id oneri esse, solitus erat dicere: Nolite, fratres, in augmentatione gregis contristari; cuius enim nutu & vocatione congregantur, eius providentia & miseratione gubernabuntur. Multorum enim Pater extitit monachorum, quos de diversis conditionibus, \* diversis ætatibus, & temporibus Domino acquisiuit. Alios namque in pueritia, alios in iuuentute, alios in senectute accepit. Et quamuis in diversis ad eum venerint temporibus, tamen sub vna moderatione discretionisque virtute, materna caritate, paterna sollicitudine fouit, nutriuit, & ex multis partibus, disparibusque moribus in vnum corpus collegit.

[32] Quocumque \* exhibat, quocumque procedebat, tanta sequebatur eum frequentia Fratrum, vt iam non ducem & principem, [Archangelus erat monachorum.] sed reuera putares eum esse Archangelum monachorum. Hoc enim nomine censebat eum appellandum in sermonibus suis & epistolis Fulbertus ille sibi præcordialis amicus Carnotensis Episcopus, in sanctitate laudabilis, in sapientia mirabilis, [Fulberti Carnotēsis Episc.laus.] in cuius morte studium Philosophiæ in Francia periit, & gloria Sacerdotum pene cecidit.

## CAPVT IX.

### Fortitudo, patientia.

[33] [Fortitudo S. Odilonis.] Iam de fortitudine animi eius vel corporis pauca dicturi, etiam virtutis illius diffinitionem, iuxta veterem æstimationem adhibere debemus. Fortitudo est animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia timere: tolerare fortiter prospera, vel aduersa. Hac itaque fretus virtute quam fortis fuerit in repellendis inimicorum insidiis, quam patiens in tolerandis aduersis dictu videtur difficile. Cerneret in illo hoc priuilegium patientiæ, quia iis, qui

læserant, tamquam alter David maiorem rependebat beneficij gratiam; & iis qui oderant \* potiozem, conseruabat beneuolentiam. Non valebant hunc aduersa deiicere, nec prospera eleuare.

[34] O quantas infestationes, & quam grauissimas insectationes a domesticis & extraneis ipsa sancta anima sustinuit, [Austeritas eius.] & præter has quam duras corporis pœnas in ieiuniis, in vigiliis, in orationibus, ipse sibi asciuit! & quod libere dicendum est, post nauigantis felicitatem, quibusdam vinculis & nexibus ferreis solo Deo teste membra sua ita damnauerat, vt vix humana caro hoc tolerare potuerit. Cilicium ei semper asperimum interius adhærebat; desuper vero mediocri & communi veste indutus apparebat.

[35] Multiplices etiam & diuersos labores sustinuit, pro pace Ecclesiarum, pro statu locorum suorum, pro vtilitate proximorum, & propriis periculis quæsiuit tranquillitatem vniuersorum. Scis etiam & tu misericors & miserator hominum Iesu Christe ad comprobendam eius patientiam quam grauissimos dolores & acerbos cruciatus, [Patientia in morbis.] ex multo tempore, dederis sibi in occulto: & tamen in his omnibus inuictum tenuit animum, tamquam bona terra fructum reddens in patientia, dicens se maiora mereri quam patiebatur supplicia. Animarum redemptor Domine, qui ad hoc percutis vt sanes, ad hoc mortificas vt viuifices, secundum multitudinem illius præteritorum dolorum succedant sibi consolationes tuarum sanitatum & lætitia cælestium gaudiorum.

## CAPVT X.

### Temperantia & moderatio.

[36] [Temperantia & moderatio in omnibus.] Temperantia quæ vltima in catalogo propositarum virtutum est, in sui diffinitione modum & ordinem seruat, eorum quæ dicenda

sunt, vel agenda. In quo virtutis officio tantum valuit, vt in omnibus actionibus & imperiis modum teneret, ordinem seruaret, & discretus mirabiliter existeret. leiunia in aurigæ modum secundum Beatum Hieronymum, pro lassitudine & viribus corporis moderabatur; & sic apposita quæque libabat, vt & superstitionem fugeret, & continentiam reseruaret. Cultus ipse nec munditiis, nec sordibus notabilis erat. Grauitatem morum hilaritate frontis temperabat. In corrigendis vitiis pro modo & tempore seuerus, in remittendis gratiosus, & in vtroque æqua lance libratus.

[37] Eæ vero, quas proposuimus, in eo relucebant virtutes, & in has concurrebant ceteræ omnes. Tota enim cerneres in illo exempla virtutum: ita in singulis eminebat, quasi ceteras non haberet: ita omnes retinebat, vt nulla deesset: [Affabilitas.] ita etiam affabilem se & beneuolum subiectis exhibebat, vt magis vellet diligi, quam timeri; magis prodesse, quam præesse. Quis vnquam de hoc viro quod displiceret audiuit? Quis audiuit vt crederet? Quis credidit vt non magis seipsum malignitatis & infamiæ denotaret? Ipse enim personæ sibi auctoritatem dabat, qui in omnibus suis actionibus conformis & compositus coram Deo & hominibus apparebat.

## CAPVT XI.

### Magnificentia in ædificiis & ornatu ecclesiarum.

[38] Et præter hæc interiora, fuerunt in eo extrinsecus gloriosa studia in ædificiis locorum sanctorum construendis, renouandis, [In ornatu Ecclesiarum, & monasteriorum magnificus fuit.] & ornamentis vndecumque adquirendis. Demonstrat hoc Cluniacus suus principalis locus, in cunctis suis ædificiis interius & exterius, præter parietes ecclesiæ, ab ipso studiose renouatus, & ornamentis multipliciter adornatus. Vbi etiam in nouissimis suis claustrum construxit columnis

marmoreis ex vltimis partibus illius prouinciæ, ac per rapidissimos \* Durentiæ, Rhodanique cursus non sine magno labore aduectis mirabiliter decoratum. De quo solitus erat gloriari, vt iocundi erat habitus, inuenisse se ligneum, & relinquere marmoreum, ad exemplum Octauiani Cæsaris, quem describunt historicæ Romam inuenisse latericiam, & reliquisse marmoream. Incepit etiam ciborium super altare Sancti Petri, cuius columnas vestiuit argento, cum \* iugello pulchro opere decoratas.

[39] Iam vero de omnibus monasteriis suis. Quid Paterniacus ob Dei genitricis amorem sibi delectabilis locus? Romanum monasterium a fundo constructum? [Varia cænobia ab eo vel exstructa, vel restaurata.] Locus S. Victoris Geneuensis, præter suam antiquam & nobilem ecclesiam? Ex toto etiam suo tempore constructus Carus locus? Amberta valde celebris ecclesia, Riuus ex toto, \* Celsinianas, Siluiniacus, translata Firmitas, Monasterium Sancti Saturnini, apud Papiam Sancti Maioli nobilissimus locus. Et præter hæc diuersarum Ecclesiarum multiplex numerus. Hæc omnia illius industria suo tempore, in ædificiis, in possessionibus & ornamentis amplissime dilatata creuerunt. Construxit etiam in vltimis vitæ suæ in prædiolo genitorum suorum quoddam monasterium, Volta a reuolutione aquae circumcurrentis nuncupatum, studioso opere decoratum: quod de redditibus suorum \* amicorum & parentum, prout potuit, ad seruiendum Deo hereditauit, & competentibus libris & ornamentis decenter adornauit.

[40] Si inimici subsannauerint, vel amici reprehenderit me hæc superflua posuisse, nouerint profecto hæc omnia ad virtutes animi eius spectare, & pro talibus patrocinia Sanctorum feliciter promeruisse, atque coronam beatæ retributionis iam a Domino percepisse.

## CAPVT XII.

## Miracula.

[41] [Miraculæ non sunt semper signa sanctitatis.] Signorum vero inquisitoribus, & meritum cuiusque in miraculi novitate metientibus id dicendum est, quia divinæ dilectionis prærogativa ponitur non in occasione signorum, sed in perfectione virtutum. Neque enim miracula vel signa nos Deo commendant, sed virtutes operum perfectos esse demonstrant. Cum & Iudas Iscariotes simul cum Apostolis signa fecerit, & reprobis in die iudicij foris a regno exclusi dicant: Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo multa signa fecimus? [Matth. 7. 22.] Et ipse Dominus in Evangelio sanctis Apostolis a prædicatione redeuntibus dicat: Nolite in hoc gaudere, quia dæmonia vobis subiecta sunt, sed in hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis. [Luc. 10. 20.]

[42] [In vita & post mortem miracula facit.] Cum ergo hæc ita sint, vanum est pro magno ducere quod constat reprobos aliquando cum electis habere. Tamen ne noster Odilo ab hac etiam gratia excludatur, dicenda sunt pauca de multis, quæ Dominus noster ad laudem & gloriam suam, & ad illius meritum hominibus commendandum, ante mortem & post mortem dignatus sit demonstrare.

## CAPVT XIII.

### Amor erga Virginem matrem.

[43] [Ope Dei paræ, sanatur, adhuc puer.] In exordio vero virtutum eius dicendum est quid illi contigerit, cum adhuc puer esset. Quod ne cui videatur incredibile, ab ipsis agnoui, quibus ipse solitus erat narrare. Dum adhuc puerulus in domo patris nutiretur, antequam etiam scholis daretur, contigit vt membrorum omnium pene virtute priuaretur, incedendique vel per se mouendi ei possibilitas negaretur. Accidit vero quadam die familiam

patris eius de loco ad locum mutari, & infantem sub custodia nutricis seruulorum ministerio baiulari. Cumque in medio itinere ad quamdam ecclesiam in honore Dei genitricis consecratam diuertissent, deposuerunt puerulum cum sarcinulis, ante ostium eiusdem ecclesiæ. Erant autem domus adiacentes eiusdem ecclesiæ, in quibus necesse erat in illis quædam victualia quærere. dum vero diutius in his implicarentur, videns se puer solum relictum, inspiratione diuina attractus, incepit tentare si quo modo ad ostium posset accedere, & ecclesiam Dei genitricis intrare. Itaque virtute qua poterat, manibus & pedibus reptando, ostium attigit: ecclesiam intravit: ad altare vsque peruenit: pallam altaris manibus arripuit: deinde summo conamine brachiis in altum protensis, surgere conabatur, sed nodis diu male ligatis retinebatur. Vicit tamen diuina virtus, sed integrans pueri languidos artus. Atque mirabili modo, Dei genitricis interuentu, surgit, & stat super pedes sanus, & in circuitu altaris hac illacque discurrit. Clientes vero postmodum ad sarcinas redeuntes, & puerum non inuenientes mirati valde, cœperunt illum vbique locorum requirere: & non inuento nimis inter se conturbati, tandem casu ecclesiam introeunt, vagantem & discurrentem per ecclesiam conspiciunt, diuinæ virtutis potentiam recognoscunt, puerum lætabundi in vlnis suscipiunt, quo tendebant perueniunt, atque parentibus incolumem & sanum cum magna lætitia reddunt. Ostendebat iam Dominus in puero, quam gratus & acceptus sibi deberet esse in futuro, quem necdum pene loquentem, vel aliqua discernentem misericorditer liberavit a tantæ contractionis vinculo. Erat etiam præsagium Dei Genitricis ecclesia, quam ipse dum ad liberam scientiam ætatemque peruenit, [Eius erga B. Virginem amor.] omnibus votis dilexit, coluit, atque pro viribus in omni vita sua glorificauit.

[44] [Ei se servum consecrat.] Referunt etiam, quod iam adultus ætate, in ecclesiam simili modo in honore Dei Genitricis consecratam intrauerit, & nullo alio, nisi Deo teste semetipsum collo mancipatum, eidem altari tradiderit, dicens: O piissima Virgo & mater Saluatoris omnium sæculorum, ab hodierna die, & deinceps me in tuo seruitio habeto, atque in omnibus meis causis misericordissima aduocatrix mihi semper adesto. Post Deum enim a modo nihil tibi præpono: & vltroneus in æternum meipsum tamquam proprium seruum tuo mancipatui trado. Hæc de pueritia eius dicta sufficiant.

#### CAPVT XIV.

##### Alia eius miracula.

[45] [Vnde miracula S. Odilonis Auctor habeat.] Nunc veniendum est ad illa quæ iam in perfectiori ætate positus, & regimine Abbatiae decoratus, Domino cooperante fecerit. Verum plurima; quæ in prima fronte dicturus sum, ipse non vidi, sed duobus monachis eius, Petro videlicet monasterij Sancti Maioli, quod apud Papiam est, Præposito, viro scilicet religioso, & Syrone cuiusdam monasterij Abbate, per adnotationem fratris Bosionis, miræ simplicitatis & innocentie, monachi, sicut rogaueram, dum hoc opus inciperem, referentibus agnoui. Fuerunt enim prædicti fratres probabiles viri, Patris Odilonis admodum familiarissimi, secretorum etiam illius in pluribus conscij, & itineris vel laboris per multa tempora socij; quapropter ea quæ ab illis referuntur tanto credibilia sunt, quanto illos certissime constat narrare illa, quæ oculis viderunt, auribus audierunt, manibus tractauerunt, atque vt certo tempore nobis & multis nota fierent prudenti memoriæ commendauerunt. Ideo vero hanc nostram relationem probabilium virorum testimoniis cingimus, ne ab æmulis gratia cuiusdam falsæ adulationis hæc finxisse iudicemur. Sicut enim Gallus in Sulpitij Seueri & Posthumiani dialogo refert de Martino:

**Non indiget vt mendaciis asseratur Odilo, quem Christus iam, vt pia fide credimus, glorificauit cælo, atque diuersis virtutum signis celebriter commendat in mundo. Absit enim a me, nisi visa & experta, & a fidelibus personis, siue idoneis testibus relata, de tanto viro aliquid mendaciter fingere vel narrare. \* \* \* \* multa desunt.**

**[46] [Transitio ad Narrationem mortis S. Odilonis.] Quid iam agimus anima? cur tam prolixas circumlocutionis moras innectimus? sic differre volumus mortem, & vitam facere longiorem, quasi timeamus venire ad vltimum. Manet adhuc illa sententia primo homini data: Terra es & in terram ibis. Quotquot post hanc venerunt, omnes præterierunt, & mortis legem persoluerunt. [Gen.3. 19.] Mortui sunt Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Reges, Imperatores, Principes, maiores & minores, & quotquot habuerunt initium nascendi, habēt & conditionē moriendi. Excepti sunt Elias & Enoch, & ipsi in suo ordine temporibus Antichristi morituri. Moritur & Filius Dei. Aliter ipse, nos aliter: Ille potestate, nos conditione: ille voluntate, nos necessitate: quamuis & ipse necessitate, quia pro liberatione, nisi enim ille moreretur \* \* \* \* aliqua desunt....**

## **CAPVT XV.**

### **S. Odilonis vltima peregrinatio, ægritudo, obitus.**

**[47] [Ægrotat S. Odilo.] In extremis itaque vitæ suæ felicis memoriæ Odilo per quinquennium nouis iterum & grauissimis cruciatibus cæpit vehementer affligi. Qui cum iam mortem vicinam sentiret, [Visit limina Apostolorum.] sanctorum Apostolorum limina adiit, eo voto, ea spe, vt sibi sub protectione tantorum Apostolorum debitum mortis exolueret, sicut semper in votis habuerat. Sed quia non est in hominis potestate via eius, aliter se res habuit, quam sperauit.**

[48] [Romæ ægrotat.] Mansit itaque ibi per quatuor menses, grauissima corporis detentus infirmitate. Aderat sibi dulcis memoriæ Clementis Papæ, de quo supra memorauimus, desiderabilis conlocutio, & Apostolice, reuerentiæ benedictio. [Visit eum Clemens II. Papa.] Frequens etiam monachorum & Clericorum grata visitatio; inter quos sæpius eum reuisebat Dominus Laurentius Archiepiscopus de Malsia, vir per omnia sanctissimus, in scripturis vtriusque linguæ, Græcæ videlicet & Latinæ facundissimus, istiusque nostri Patris familiarissimus, quorum vterque animus conglutinabatur indiuidui amoris spiritu.

[49] Postquam vero contra spem conualuit fultus sanctorum Apostolorum suffragiis, & munitus benedictionibus Apostolicis ad propria rediit. [Cluniacum redit.] Cluniacum venit, & ibi per totum fere annum, semetipsum, in quantum infirmitas concessit, vehementer ieiuniis & orationibus & vigiliis afflixit: Fratres ibi manentes & superuenientes piis exhortationibus instruxit, & velocem sui corporis depositionem imminere prædixit. Decreuerat post hæc vt monasteria sua & cellas circuiret, [Visitat monasteria sua.] fratres visitaret, paternis admonitionibus instruendo, ad meliora prouocaret: & sic demum quocumque secederet, ibi sollicitus suam vocationem expectaret.

[50] Hoc opere incepto Siluiniacum venitur, vbi prædecessor suus S. Maiolus moritur, & sepultus requiescit. Ibi itaque non paucis diebus commoratus, cum instaret iam Adventus Dominicæ Natiuitatis, & ipse tamquam vox præcurrens, de die in diem populo gaudia tantæ festiuitatis in sermone publice denuntiaret, [Siluiniaci ægrotat.] subito illi sui diuturni cruciatus & antiquissimi dolores, simul ad vitalia congregantur, & de eius vita (heu pro dolor!) desperatur. Vt est Ecclesiasticæ consuetudinis, Fratres cum psalmis ante eum veniunt:

**secundum Apostolicam sententiam, Oratio fidei super eum celebratur: [Munitur sacramentis.] mysterium viuifici corporis & sanguinis sumitur: pax fratribus præbetur: & ad vltimum illa salutifera Crux nostræ redemptionis, & imago Crucifixi Domini nostri ad adorandum præsentatur.**

**[51] [Sacram crucem piissime veneratur.] O Domine Iesu, in illa hora quæ suspiria, qui gemitus fuerunt! quæ confessio & recordatio delictorum! quæ glorificatio tuæ Maiestatis! quæ inuocatio tui nominis! & quæ memoria tuæ Passionis, & nostræ redemptionis! Ita enim suspensis oculis, & lacrymarum imbribus plenis contemplantur, & compatiebatur tui vultus imaginem, quasi iterum te videret crucifigi & mori. Adstabat enim totus suspensus cum Maria Matre, pertransibatque animam illius acerrimæ compunctionis gladius. Aduenerat Sancti Siluestri Pontificis festiuitas, & vigilia expectatæ circumcisionis, cum subito ante lucem magis ac magis vrgeri cœpit ad extrema mortis. Mysterium corporis & sanguinis Domini cum festinatione requirit, fideliter agnoscit, deuotus sumit. Et ita sine vlla concussionem corporis, & sine aliqua habitudine incompositæ affectionis clausis oculis, in pace quieuit. Decessit vero vir sanctus nocte Circumcisionis Domini nostri Iesu Christi, [Moritur.] in prima vigilia noctis, quæ etiam Dominica habebatur, ætatis suæ anno octogesimo septimo, ordinationis vero quinquagesimo sexto. Anno etiam Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo nono.**